

fit. Ex gemino hoc procedendi modo nascuntur duæ species, vel (ut alii volunt) gradus demonstrationis; videlicet *διότι*, à priori, & *ὅτι*, à posteriori; quarum illa perfectior, hæc imperfectior.

Demōstratio
ἔ *διότι*.

Demonstratio *διότι* est, quâ cognoscimus causam proximam, cur res sit talis.

Hic objici solet: Cùm quæritur, an res sit, est quæstio demonstrabilis, seu conclusibilis; cùm autem quæritur, cur res sit, non est quæstio demonstrabilis, sed explicabilis seu declarabilis simplici enunciato: ut, Cur Luna patitur eclipsin? Respond. Q. terra diametraliter interponitur inter ipsam & Solem. Sed tenendum. Hanc ob causam quidam rejiciunt illas voces ἔ *διότι*, & ἔ *ὅτι* in hac doctrinâ. Sed respondetur à Philosophis, ambiguitatem esse in voce *cur*, vel *διότι* ut & ἔ *ὅτι*, quòd. Omnis demonstratio concludit quæstionem quòd, seu *εἶ ἐστ*. Sed demonstratio à priori dicitur ἔ *διότι*, quòd ipsam causam cognoscamus, propter quam res ita se habet. e. g. An Luna illo die patietur eclipsin? Hæc est quæstio demonstrabilis. Resp. Patietur: quia illo die terra diametraliter interponetur inter ipsam & Solem. Hæc vocatur demonstratio ἔ *διότι*, quia sic concludit quæstionem, ut simul causam indicet; cujus cognitio cùm sit nobilissima, ab illâ nomen sortitur hæc demonstratio.

Ejus canones sunt:

1 *Positâ vel remotâ causâ proximâ & adæquatâ affectionis propriae subjecti, ipsam affectionem poni vel removeri est necesse.*

Vel, cuicumque tribuitur vel adimitur causa proxima & adæquata affectionis, ipsam quoq; affectionem ei tribui vel adimi necesse est. Unde sequitur à causa adæquata ad effectum valere consequentiam affirmativè & negativè. Non igitur omnis demonstratio est affirmata; sed multæ quoq; sunt negatæ. v. g. Quidquid est ubique, est substantiæ infinitæ. Nulla creatura est substantiæ infinitæ. E. nulla creatura est ubique. Item: Omne rationale est risibile. Nulla bestia est risibilis. E. nulla bestia est rationalis.

2 In